

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 1: De peccatis Caput 1: De superbia (26)

Isidorus de summo bono:

Ex culpa enim superbie,  
plerumque in abominandam carnis immunditiam itur.  
Nam alterum pendet ex altero,  
sed sicut per superbiam mentis itur in prostitutionem libidinis,  
ita per humilitatem mentis salua fit castitas carnis.  
Deus autem numquam deicit occultam mentis superbiam,  
nisi per carnis manifestam ruinam.  
Libidinis immunditia nascitur de non oculta superbia,  
exemplo primi hominis,  
qui mox ut per superbiam contra Deum tumuit,  
statim carnis libidinem sensit, et pudenda operuit.  
Quapropter unusquisque sue deputet culpe quod cecidit,  
quotiens libidine vincitur,  
quia nisi precessisset latens superbia,  
non sequeretur libidinis manifesta ruina.

Multi luxurie subditi sunt,  
et contumaci superbia de ipso luxurie opere gloriantur;  
et inde magis elati sunt, unde humiliari deberent.

Ex culpa superbiae  
plerumque in abominanda carnis inmunditia itur.  
Nam alterum pendet ex altero,  
sed sicut per superbiam mentis itur in prostitutionem libidinis,  
ita per humilitatem mentis salua fit castitas carnis.  
Deus autem nonnumquam deicit occultam mentis superbiam  
per carnis manifestam ruinam.  
Libidinis nasci inmunditiam de animi occulta superbia,  
exemplo primi hominis,  
qui mox per superbiam contra Deum tumuit,  
statim carnis libidinem sensit, et pudenda operuit.  
Quapropter unusquisque suae deputet culpe quod cecidit,  
quotiens libidine uincitur,  
quia nisi praecessisset latens superbia,  
non sequeretur libidinis manifesta ruina.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 2.39.1-2 (CCSL 111,  
P. Cazier ed., p.170, ll.2-14).

Multi luxuria subditi sunt,  
et contumaci superbia de ipso luxuriae opere gloriantur,  
et inde magis elati sunt unde humiliari debuerant.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 2.39.6 (CCSL 111,  
P. Cazier ed., p.171, ll.36-38).